
M E T H O D V S F O R M A N D I
C O N C I O N E M.

Traſtaturus pro concione textum Scripturae, primò omnium inſpiciat & conſideret eius ſcopum, quid & quorſum id dicatur, quid probare velit aut innuere. Iſte ſcopus vel per ſe manifeſtus eſt ex textu: vel conſideratur & eruitur ex antecedentibus & conſequentibus.

Perſpecto ſcopo, inde de exordio commodo cogitandum eſt.

Illud autem etſi liberum & varium eſt, tamen plerunque petitur; 1, Ex re ipſa, ita ut illud affinitatem quandam habeat cum textu, qui tractandus eſt. 2, vel à dicto communi Scripturae, vel alio, quod mox ad præſentem textum eſt accommo- dandum. 3, vel à repetitione, ubi ea quæ in priori concione diximus, repetimus, ut auditoribus in mentem reuocentur. 4, vel à connexionione, ita ut oſtendatur connexionio, quomodo hic textus cum ſuperioribus cohereat.

Virtutes exordiorũ hinc etiã tenende. 1, Sint breuia. 2, Explicent breuiter textum propoſitum. 3, Sint domeſtica, hoc eſt, cum re quæ tractatur, coniuncta.

Exordio inuento, Propoſitio textus perſpicuis verbis proponatur, quid Euangelista, Apoſtolus, &c. probare velit. Virtutes eius ſunt: 1, Sit breuis. 2, Clara & perſpicua, ut ab omnibus intelligatur facilimè. 3, Ex ipſo textu petita, non aliunde.

His ita poſitis, Partitio inſtituenda eſt: Inue-
nitur